



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. XXXV. de purgatione vulgari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

A D T I T. XXXV.

De Purgatione vulgari.

PER purgationes vulgares tentatur Deus. Tentatio enim Dei est dictum, vel factum, quo quis explorat, num Deus sit potens, aut an aliam perfectionem habeat. Alia est *formalis*, quando expressè dubitans petit v. g. miraculum, & hæc est peccatum mortale. Alia *Interpretativa*, cui dubitatio illa deest, plerumque est peccatum tantum veniale, imò nullum, si iusta adsit causa v. g. Dei instinctus, necessitas, vel pia utilitas &c. Busenb. *lib. 3. tr. 1. cap. 2. dub. 1.*

Purgatio vulgaris nec in causis civilibus, nec in criminalibus admittenda. Gonz. *ad c. dilectis. b. 1.*

A D T I T. XXXVI.

De Injuriis & damno.

BU Senb. *lib. 3. tr. 5. ca. 2. dub. 1. ait.* Quisquis intulit injuriam damnosam, etiam *materialem* tantum, tenetur restituere, sed *non nisi id*, quod ex alterius re adhuc habet, vel quo ex ea factus est ditior; qui formalem verò, in tantum, in quantum est damnum. An sufficiat culpa venialis? Sententia utraque probabilis & tuta, saltem quando non commode potest restituere.

Dub. 2 Tenentur concurrentes, qui his verbis continentur.

Iussi, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, minus, non obstant, non manifestans.

Ly *pa'po* denotat eum, qui vel laude, vel exprobratione, vel alio modo excitat, animat, *Recursus* ad quem damnificans recurrit, & recipit.

Ad materiam restitutionis observanda, per violationem justitiæ commutativæ veram & rigorosam fieri injuriam, quia hæc sola violat strictum jus. Si autem violetur alia justitiæ species, fieri tantum injuriam minus rigorosam. Unde etiam prior ad restitutionem obligat, non alia, ut distributiva v. g. eligat quis dignum, omisso digniore, licet eligens indignum ad restitutionem teneatur, quia hic contra contractum cum Republica initum agit. Eodem modo ad restitutionem non obligat *legalis*, nec *vindicativa*, quamvis hæc per accidens obligare possit. Sic Princeps aliquando ob mala, quæ in Republica orientur, obligatur ad fumentam viudictam; concurrunt enim quandoque cum distributiva, commutativa. Kichler. *disp. 14. sect. 4.*

Commutativa violari potest, vel per puras injurias v. g. si quis conetur furari, si quis impudicè aliquam osculetur secluso damno in honore; vel simul damnum inferendo, quod fit vel per *injustam acceptionem, detentionem, destructionem, alienationem*. Priori casu non oritur obligatio restituendi, licet satisfieri debeat; posteriori verò oritur ex quolibet capite, quamvis